



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput VIII. De Adjuratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

& quarto, id est, Petro, & Martino; quia cum non sunt iuramenta vera acceptata, solum continent vinculum Religionis, ad quod Episcoporum, & privilegiorum potestas extenditur.

Aliis vero duobus, secundo, & tertio, id est, Francisco, & Antonio, dico neminem posse. Ratio est, quia hæc sunt vota, vel iuramenta emissa principaliter, ut supponimus, in commodum tertij acceptantis; ad quæ nec Episcopi, nec Delegati potestas, quæ est ad ea, quæ in solum Dei obsequium præstantur, extenditur: eo ipso enim, quo sunt acceptata, nec intervenit injuria ex parte recipientis; involunt vinculum iustitiæ, quod solvere nulla auctoritas valet, nisi ob bonum publicum, &c.

3. Denique Petrus propter amorem Dei vovit, iuravitque puellam inopem indeterminatè ducituram (supponamus hoc votum esse validum; de quo tamen dicam infra, c. 15, §. 3, n. 4.) mox determinatè Berta id manifestavit, quæ acceptavit promissionem. Antonius pari modo vovit, iuravitque elemosynam alicui pauperi, seu Ecclesiæ, nullam signando, erogaturum; mox determinatum pauperem, seu Ecclesiam acceptantem elegit; queritur, an Petrus possit aliam puellam inopem ducere, & Antonius alteri pauperi ab electo eam stipem largiri? Rursus, qui dispensare in his, vel commutare valeat?

Dico, posse Petrum, quantum est ex vi iuramenti, vel voti, aliam ducere; & Antonium alteri stipem erogare: ita Sanch. lib. 4. in Dec. c. 41, n. 14. Castro tom. 3. in de voto, disp. 1. c. 16, num. 7. Ratio est, quia cum hæc promissiones non nisi Deo directæ sint, non possunt prædicta Berta, & Ecclesiæ dici legitimè acceptare; acceptat enim legitimè aliquis id, quod illi promittitur: nunc verò nihil ipsis promissum fuit: ergo si acceptant, illegitimè, & nulliter acceptant. Hic ergo casus est longè diversus, ab eo, quem posuimus modò §. 3. n. 2. in quo votum, vel iuramentum emissum supponitur solum in hominis commodum, atque hunc legitimè acceptasse propter eandem rationem, in utroque foro poterunt dicta iuramenta ab Episcopo, vel in foro conscientie à privilegiato dispensari, seu commutari, perinde ac cætera solum retinentia vinculum Religionis, de quibus dictum est supra. Si iuramentum, vel votum sit principaliter in obsequium Dei, sed minus principaliter in commodum hominis, etiam determinati, sique acceptaverit, dicam cap. 17. de Voto, §. 2.

4. Dixi (quantum est ex vi iuramenti, vel voti) nam si Petrus sponsalia cum dicta Berta iniisset, requirerentur causæ à Doctoribus apud Sanch. 4. de matr. lib. 1. c. 55, explicatæ, ad ea dissolvenda, aliâque ducendam. Pari modo, si Antonius, quando elegit dictum illum pauperem, vel Ecclesiam, se principaliter in commodum ipsorum nova iura promissione illis acceptantibus obligasset: essemus in alio casu, in quo est legitima jam acceptatio, ubi dispensare, ut sæpe docuimus, nullus potest. Nam si principaliter fuisset in obsequium Dei, & minus principaliter in ipsorum utilitatem, jam promissi me dicturum, cum de Voto, cap. 17. §. 2.

CAPUT VIII.

De Adjuratione Juramento affini.

§. I. De Adjuratione in universum.

1. SI quis ita obtestetur: Hoc præsta per amorem, quem Deo, Sanctis, tuo Patri geris: Per vitam tuam, per vitam Patris tui hoc age. Item si sic te quis terreat aliquid imperando: In virtute Dei, vel Sanctorum, in nomine Regis, id gere, dicitur te adjurare. Adjuratio igitur non est iuramentum, nec deprecatio: Sic Suar. Sanch. Castr. l. mox cit. alique, sed imprecatio, seu jussio per aliquam rem dantem moraliter, hoc est, in conceptu hominum ipsi imprecationi, seu jussioni vim. Et quidem si per Deum, vel per ea, quæ ad Deum pertinent, exhibetur, est actus Religionis Latræ; si per Virginem, Hyperdulæ, si per San-

ctos, Dulæ; si per homines, est actus politæ, humanæ, quæ imprecationis.

2. Hinc fides primò, omnes creaturas adjurari posse; omnes, inquam, quæ jussione, imprecationemque percipiunt, quales sunt Rationales: Irrationalia tamen, improprie; quatenus Deo obedientiam physicè præstant, adjurantur: Vt si monti dicatur à Sancto viro: In nomine Christi, transfer te in alium locum; quo pacto verè Deus adjuratur, ut scilicet in te assistat.

3. Vides secundo, adjuratum ex vi solius adjurationis nequaquam obligari ad rem præstam: nam quia adjuratio est tantum inducenda ad inducendam majorem quandam reverentiam, vel timorem ipsi personæ adjurate, non verò ad inducendam obligationem, qualem inducit commemoratio juramenti facti, vel obedientiæ votum, præceptumve. Ne autem temerè contra virtutem Religionis execratur adjuratio, requirit eisdem proportionaliter eomites, quos Juramentum: nempe Veritatem, Justitiam, Judicium.

Veritas.

4. Hæc consistit in eo, quòd non fiat adjuratio per falsos Deos, v.g. per Saturnum, per Jovem, &c. vel per eum, cui non debetur reverentia, v.g. per Luciferum, per demones, &c. quibus modis peccatum esse mortale non est oblium.

Consistit etiam in eo, quòd non intermiscatur ali-quod in adjuratione mendacium; ut si quis occultus dives elemosynam petat, ut pauper, propter amorem Dei; At peccatne mortaliter? Respondeo, sive hic peccet contra justitiam, sive non item, de qua re alibi, certe non peccat, nisi venialiter contra Religionem: ita Sanch. lib. 2. in dec. c. 42, n. 5. citans rectè Suarium, quia inducere alium ad præstandum bonum, etiam cum fictione, & mendacio levi, ut hic supponitur, non est gravis Dei irreverentia. Neque enim juncassumitur Deus ad iniquitatem patranda, ut contendit Cast. l. 3. tr. 14. disp. 4. de adjur. p. 1. n. 5. immeritò, citans Suarium: assumitur enim ob bonum actum faciendum ex parte dantis elemosynam, licet, quia ex parte recipientis is actus bonus non fit, aliqua committatur, nempe venialis irreverentia. Non esse autem mendacium leve estis miraculis ad fidem allicere, suo loco docebitur.

Justitia.

5. Hæc consistit in eo, ut non petatur, nisi res justa, & honesta. Ita Sanch. Castro Pal. l. c. alique. Quare si quis per Deum, vel Sanctos, etiam sistendo in illis, adjuret quempiam ad committendum peccatum mortale, præter ipsum mortale in propria materia, mortaliter peccat contra Religionem; si ad committendum veniale, venialiter: quia ibi gravis, hic levis est irreverentia: At si per hominem, v.g. per vitam Patris, amici consanguinei, adjuret quis ad patrandum sive mortale, sive veniale peccatum, non addit aliud peccatum præter peccatum, quod petit, quia ex hac adjuratione non transfertur culpa gravæ petitionis in aliam speciem.

Indicium.

6. Hoc in eo consistit, ut adhibeatur modus discretus, & prudens. Ita Suar. lib. 4. de iur. qui est de Adjuratione, cap. 4. n. 5. §. 11. quare non decet passim, & sine occasione per Dei, & Sanctorum nomen aliquem adjurare: esset enim culpa, sed certè venialis, sicut est iuramentum verum, quod sine consideratione in vanam emittitur. Rursus, ne adjuretur Deus, & Sancti imperativè, nec demon deprecativè, quæ ut patet, essent mortalia peccata: nec homo subditus, imperativè, quod esset mortale, si injustitia, quæ ipsi fieret sic imperando, esset gevis: venialis, si modica. Irrationalia, sive imperativè, sive deprecativè, eo modo propriè, ac si intelligeret, adjurare, vanum certè est, & consequenter veniale: potest tamen aliquando mortale, & superstitiosum esse, si fiet

§. II. De Adjuratione demonum.

De fine adjurationis, de q̃re imperio adjurantis in demonem.

3. *Patet hæc adiunctio fieri debet imperativè, v.g. Esne tu, die, non veid deprecativè, v.g. Rogo te, ut facias, ut dicat hæc à me gratiam incipit exorare, &c. quia, nimirum deprecatio præfert humilitatem, & amicitiam, quæ non offendit imperium, quod exercere solum concessit Fidelibus Christus Dominus in dæmones, ad eisdem suo nomine prestigandos.*

Certe in hoc nimis rigide loquitur Castro Pal. tom. 3. p. 14. d. 4. n. 8. cum sic habet: Verius est, quamlibet interrogationem, que ad expulsiōem non conducit, esse peccatum.

7. Dices iterum cum eodem: Dæmon quiddid dicit,
facitque, ex odio contra Deum dicit, & facit. Ergo cum
illius peccato cooperor, si illum invito ad aliquid faci-
endum, quod non sit illud, quod concessit Christus ad
eum fugandum. Respondeo cum dæmon semper sit
tale peccatum paratissimus, ego non quidem causo, sed
mera occasio sum ejus peccati: ad quam occasionem evi-
tandam Deus non me obligat, si tunc ~~et~~ bilis opinio
non obligat me ad non petendum mutuum ab usurario
parato. Lege Dien. p. 1. tr. 7. ref. 3. & ibid. citatos.

10. De tertio ergo nonnulla subditur dubitatio. Et quidem Castr. Pal. d. 4. cit. p. 4. num. 8. ait id esse mortale, quia petere quid ab aliquo, in quem potestatem non habes, est te humiliter illi subjicere, ac deprecari, & veluti pactum Societatis cum illo inire: at quoad hæc vana non habet homo potestatem in demonem: at Christo, ut dictum est, ergo, &c. Sed merito Sanchez lib. 2. in Dec. 6. 42. n. 25. Nav. Sylv. Bon. Val. Suar. alique cit. ab eodem Castr. l. c. n. 7. putat esse veniale, quia est levitas materiæ, & imperfectus actus commercij socialis: neque enim eo ipso, quod aliquid vanè à te peto, pactum tecum in eo, amicitiam tuam mihi concilio, vel me tibi submitto, si Castr. Palai ratio gratis contendit. Intellige autem, si fiat semel, aut iterum, & quidem non deprecative, consequenter ad ea, quæ modò diximus de colloctione; nam si sæpe, vel deprecative, convinceretur appeti cum demone absoluta socialis amicitia, vel subordinatio, quod esset mortale.

An adjurans licetè præcipere queat demoni superiori, ut demones inferiores pellat à corpore, vel ut manifestet maleficium.

11. Accidit non raro in obsessio adeste superiori demonem, & simul inferiores, (id autem suppono potius, cum Less. lib. 2. c. 44. n. 22. & Soar. t. 1. de super. n. 18. n. 8. quam quarto) in hoc ergo casu, quomvis demus non posse à demone, qui sit extra corpus peti, ut pellat eos, qui sunt in corpore, de qua amen te dicam mox num. 3. casus noster nunc est de demone superiore, qui est in obsessio. Ratio dubitandi, quod non possit id peti, est, quia sic videtur beneficium postulari à demone non licet. Sed certè (quidquid sentiant Castr. t. 3. disp. 4. de Adjur. p. 4. n. 10, Sanch. lib. 2. in Dec. c. 42. n. 21. alique) licetè adjurantem id præcipere posse, indubitatè cenleo. Ita Sylv. v. Adjurat. q. 5. vers. & haec etiam ratione. Ratio est, quia falsum est eo modo peti beneficium, vel obsequium sociale: non enim statim ac à te peto, vel imperativè volo id, quod mihi bonum est, recipio, vel peto amicabile beneficium: sic enim Exorcista ne expulsionem quidem imperativè petere posset, quia expulsio bonum quid est. Beneficium ergo debet quidem esse mihi bonum, sed quod gratis, sed quod ex voluntate bona, sed quod ex tuo amore procedat. Sive ergo sic præcipiat adjurator: *Exi cum aliis tuis sociis*, in quo loquendi modo non manifestè apparet petiti à superiore demone, ut depellat socios: vel sic, ubi apparet: *Exi, & pelle tuos socios*, licetè præcipit, quia nec amicabile beneficium affectat, & utitur potestate, quam Christus circa ejciendos, sive directè, sive indirectè, demones, ample concessit.

12. Dices primò: At ostenderet Exorcista se indigere auxilio à demone, in corpore obsessi existentis, quod esset se illi submittere. Respondeo, nego id ostendere: patet in hominibus: quis enim haberet plenam potestatem expellendi milites, eorumque ducem ab arce quapiam, ut quæ illos de facto expelleret, imperium non in milites dirigeret, sed in Ducem, ut scilicet ipse suos secum alid duceret, nullo modo diceretur præse ferre indigentiam auxilij, sed solum velle uti potestate, sive immediatè, sive mediatè hostes ab eo loco expellendi. Videat me Cœdior, an etiam propter hanc rationem licetè possit Adjurator petere, imò & cogere ab hoc demone, ut dicat, an alius, v.g. infirmus sit maleficio affectus, necne, & ut manifestet maleficii genus, vel signum, & in quo loco fortè inveniri possit, quæ omnia videntur dirigi ad salutem proximi, & ad arcendos demones à fidelium vexatione.

13. Dices secundò, hæ rationes probant posse etiam idem peti (certè interpretativè) à demone superiore existente extra corpus obsessi. Respondeo ita quidem, id quod docet Sylvest. alique apud Tancr. de rel. disp. de adjurat. n. 48. unum tamen video, id vix posse in proximè deduci, quia nescit Exorcista, quoniam ex demonibus extra corpus sit superior, nec facile credendus ipse demon in corpore, si aliquem sibi superiorem extra corpus affirmet: Mendax enim est ipse ab initio: at in corpore magis credendus, quia ex usu Ecclesiæ huc spectant Exorcismi.

An contrà, facere aliquid, vel connivere potest Exorcista ad petitionem demonis.

14. Certum est non posse, si res sit illicita, vel si quamvis aliàs licita, animo amico demoni concederetur. Solum ergo ea possunt, ad ejus petitionem fieri, vel permitti, quæ faciunt ad ejus expulsionem, & fugam: Sed tamen adhuc pro his controversia triplex agitari solet.

15. Prima. An si demon petat, ne illum in infernum amandem, (quod illum amandem certè licetè posset Exorcista, quia ei loco à Deo demon additus est) sed releget in locum desertum; possit ab Exorcista id concedi? Respondeo licetè posse sub spe divinx ratificationis; cum enim Deus demonem nondum actu in inferno

concesserit, id reservans post finale judicium: relegationem in locum desertum nomine Dei ab Exorcista concessum, idem Deus ratificare credendus est. Quod si Exorcista potest, videtur teneri: sic Castr. d. d. 4. p. 4. num. 14. quia claritas dicit, ut proximo succurratur, quando sine incommodo potest, hic autem proximo succurritur, quia facilius redditur expulsio, nec incommodum ullum inde timetur.

16. Secunda. An si demon petat, ut immittatur in equum, v.g. Petri, sicut petiit, ut immitteretur à Christo Domino in gregem porcorum, concedere id liceat? Christus enim erat Dominus illius gregis: atqui Exorcista non est equi Dominus. Respondeo, conveniunt Doctores apud Tancr. mox cit. licere in equum immittere, vel in quid simile, non admodum grave damnum inferens. Ratio est, quia etiam hic tertium num modico suo incommodo illi demoniaco subvenire obligatur. Sed quid, si id damnum tertij grave notabiliter esset. Nequaquam licere censent aliqui, cum Tancr. t. 1. de Rel. disp. de adjur. num. 67. fin. quia nemo tenetur cum gravi suo incommodo salutis corporalis alterius succurrere.

17. Verum mihi videtur licere. Ratio est, quia hanc demoniaci non purò esse solum gravem necessitatem, sed extremam, in qua ex communi sententia, omnia sunt communia. Audi Castr. Palaum t. 2. disp. 2. de charit. p. 2. n. 1. sic rectè docentem: *Extrema necessitas est, si proximus in probabili, & morali certo periculo vite versetur, nisi illi succurras. Ad hac reduci potest periculum mutilationis membri, perperui carceris, aut alicujus infirmitatis perpetue, quia hac morti comparantur, ideoque à Doctoribus necessitas horum eventuum vocatur quasi extrema.* Hæc ille: at certè quæ gravior infirmitas, quam à demonibus vexati? & certè sine fine obsessus vexabitur, nisi succurratur. Secunda tamen regula: Ne proximus, qui est in possessione suarum rerum, ponatur in simili malorum, vel notabilis paupertatis periculo, id quod, & similia videntur apud Castr. Palaum citatum.

18. Tertiò, An si demon petat, ut immittatur in alium hominem, seu dicat se exiturum quidem, sed velle alium hominem arripere, an, inquam, possit id concedere, seu connivere Exorcista?

Non posse, communis, & vera docet opinio. Ita Del-tius lib. 16. disp. mag. cap. 3. Sanchez lib. 2. in Dec. c. 42. n. 36. Castr. Pal. t. 3. d. disp. 4. de adjur. p. 4. n. 13. quia nemo est Dominus vite proximi. Neque dicas saltem posse permittere: ne id, inquam, dicas, quia ejusmodi permissio esset tacita concessio: sicut si servus volens aliquem interimeret, expectaret nutum Domini, Dominus autem conniveret; sanè ejusmodi permissio nutui in his circumstantiis recipere.

19. Illam exceptionem faciunt ex Tyraco Sanchez ibid. & Castr. Palaus ibid. Aiunt enim tunc posse Exorcistam connivere translationem demonis in alium hominem, quando concurrerent hæ quinque conditiones. Primò, si is, qui de novo opprimendus est, sit pessime vite. Secundò, si circa opprimendum habeat Exorcista summum dominium. Tertiò, si Exorcista summam potestatem habeat demonem à noviter obsessio, quando vult, expellendi. Quartò, si adsit spes majoris boni ex prioris obsessi liberatione, & istius posterius damno. Quintò, si non fiat ex voluntate placendi demoni.

20. Sed profectò huic exceptioni, pace tantorum virorum, non est acquiescendum. Primò, quia tot ponuntur conditiones, ut vix simul in praxi conjungi possint. Secundò, quia nullus omnino homo in hominem tanto dominio potitur, ut eum vexare per demonem possit. Quod si Princeps in reos propter Reipublicæ bonum animadvertere etiam usque ad inferendam mortem potest, testes sunt proferendi, reus est audiendus, sententia est pronuntianda, quæ non potest facere, necdum non facit Exorcista. Quare si sanctus Paulus Sarnæ tradidit semel pravam hominem, ut Spiritus sanctus fieret: fuit dispensatio peculiaris Dei ex Spiritu sancti instinctu. Tertiò, equis erit ille, qui potestate certa

item repellere à nova sede demonem? Id & illi
supernaturaliter concedendum esset, & per aliud mis-
ericordiam foret idem revelandum id fuisse concessum, quæ
de scilicet, quam ardua sint, nullus non videt.

21. Aliam exceptionem, seu declarationem legi apud
Tancr. tom. 1. de Relig. d. de adjur. num. 67. posse scilicet
adjuratorem concedere, ut exeat demon, si concessio
non fecerat in hunc hominem determinatè, sed in ali-
quem indeterminatè, ut si demon diceret: *Si hinc abeo,*
autem hominem arripiam, posset respondere Exorcista
Etiā aliam aggredere. Ratio est, inquit, quia jam da-
mon non potest deinde in aliquem determinatè ingre-
diendi, sine Dei voluntate.

Verum animo nequaquam sedet hæc exceptio, perin-
de ac non sedet ejus ratio. Si quidem ne sine Dei quidem
voluntate in hominem determinatum ingredi eidem
conceditur, & tamen id ab Exorcista permitti nequit,
quæ cum contra utramque permissionem, tum de de-
terminata scilicet, tum de indeterminata persona ob-
stant, eadem militent inconvenientia, ut accuratè con-
sideranti constabit: concedi, seu permitti neutra potest.

Mentiones non inutiles pro Adjuratoribus.

22. Primò, ex Suar tom. 2. de Rel. lib. 4. de adjurat. c. 1.
11. Sanch. lib. 2. in Dec. c. 42. n. 4. Castr. d. 4. de adjur. p. 2.
11. Iam Exorcista ex iustitia se obligari ad adiuvandum
demonem, si sit Pastor, & prudenter judicet se posse ob-
fesso suis adjurationibus opulari: imò, qui non est Pa-
stor (modo non adit aliud remedium aquæ benedictæ,
aliarum orationum, Agnorum Dei, &c.) tenebitur ex
charitate, quando sine magno suo incommodo per Adjura-
tionem adjuvare potest, juxta regulas generales, de
precepto Charitatis.

Videò tamen vix prudenter posse Exorcistam judicare,
se tantum auxilium ferre, nisi sit admodum peritus, &
prospero experimento contra demonem comprobatus.

23. Secundo: qui solemniter, & publicè demoniacum
adjurat, Sacerdos sit, vel saltem prima tonsuræ Clericus
iniguus, vel certè Religiosus Deo dicatus (& quidem
ejusmodi ut non subit periculum, quod à demone de-
cipiatur) id enim pertinet ad publicum ministerium à
Christo Domino relictum Ecclesiæ.

24. Quid, si Laicus sing dicto periculo demonem
vellet solemniter, & publicè adjurare? Respondeo: pec-
catum mortaliter, etiam si doctissimus sit, aliqui do-
centia Tancr. loc. cit. num. 42. Ratio est, inquit, quia
affert aliis scandalum, & quia à gradibus Ecclesiasticis
sejunctus publicè eorum ministeria, ac solemniter usur-
paret. Ego non peccatum mortaliter putò Primò, quia
neque sic peccat, qui publicè Missæ interfuit, Acolythi
v.g. minus exerceans: multò minus ergo, qui Exorcistat.
Secundo, quia omnes fideles Baptismo Christi insigniti,
terribiles sunt demoni, juxta illud, quod fidelibus opor-
tet dictum est: *In nomine meo demonia ejicient.* Tertio,
quia jam insinuas privatim posse, etiam Exorcismos Ec-
clesiæ recitando. Ita Suar. l. 2. de Rel. lib. 4. de adjur. cap. 2.
n. 10. Sanch. lib. 2. in Dec. c. 42. n. 18. Castr. disp. 4. citata
p. 3. n. 2. cur ergo non publicè? Propter scandalum? ve-
roor, ut sit scandalum passivum. Sed facit esse activum.

Fateor, si quando ejusmodi apparet, non licere: Sed ad
hoc inter fideles raro contingere; quod si contingat,
facile possit astantes ab ipso adjurante instrui de rei veri-
tate. Quarto, quia non obstat alieni ministerij usurpatio;
nam in re tam necessaria, atque utili proximo, tamque
modici præjudicii, facillimo negotio Ministrorum rati-
habitu præsumi potest. Quintò, quia quod aliquibus
ex officio competit, non negatur aliquando aliis, qui
idem non ex officio faciunt. Sic baptizare convenit ex
officio Sacerdoti, nec tamen propterea negatur Laicis,
imo, & feminis in necessitate; & sexcenta similia; &c.

Hæc igitur sententia probabilis est, si semel, aut ite-
rum demoniacus à docto, piòque Laico publicè adjure-
tur; ceterum, si sapius, cum admiratione gravi populi

Part. I.

cum contraditione Parochi, &c. id, attentaretur; certè
tunc juxta gravitatem scandali, vel contraditionis, gra-
vis esset constituenda culpa.

25. Tertio, licet Exorcista scribere nomen diaboli
& illud comburere; licet in obfessum expuere, licet le-
viter percutere, & similia; atque hæc in demonis com-
temptum. Ita Delrius lib. 2. Magic. q. 30. sect. 3. Sanch. lib. 4.
in Dec. c. 4. n. 33. Tgullench. lib. 1. in dec. c. 14. n. 21. Castr.
l. c. p. 4. n. 15. alique passim; quia ceterum res corporales
vim nullam habent ad vexandos spiritus, qui rebus cor-
poris non afficiuntur, nisi fortè ut signis. Lege S. Aug.
l. 2. de Civ. Dei, c. 6. capillos radere, si fiat ad superstitio-
nem, v.g. ut facilis exeat, pilis non impediens, da-
mon; certè non licet: sed licet posset fieri, vel ad da-
monis contemptum, vel ad amonendum signum malici-
e, fortè in capillis per unguenta adhærescens, ut alibi
vixi, cum de maleficio.

26. Quarto, medicamenta, vel suffumigia naturalia
adhibere etiam licet, quia demoniacus non raro attra-
hili, aliisque noxiis humoribus abundat; sed hæc medi-
cis præstanda potius relinquat adjurator, quam ipse ex-
hibeat. Atque hic in multis peccant mulierculæ, remedia
adhibentes inutilia. Nam primò, peccant contra iusti-
tiam extorquentes pro semerito pecuniam, & inutiles
sumptus cauendo in aliis. Secundo, contra iustitiam ite-
rum, & contra charitatem, dum sunt causa, ne infirmus
alia utilia remedia quærat, quibus fortè convalesceret.
Tertio, contra Religionem, dum sunt causa, ut vanis su-
perstitionibus, quas ipsæ frequentissimè admiscunt, sim-
plices, ac rudes adhæreant, atque insistant.

27. Quintò, non licet acriter flagellare, vel pignis
percutere demoniacum: Ita Delrius, Sanchez, Castr.
ibid. quia & esset contra charitatem proximæ, & nihil
utile fieret ad expulsionem eorum spirituum, qui corpo-
reas percussiones non sentiunt.

Quid, si demoniacus esset Clericus? Si Exorcista, licet
imprudenter, & cum culpa, demonem in obfesso gravi-
ter percuteret, incideret in excommunicationem: Si
quis suadente? Respondeo. Nisi ignorantia excusationi
esset, sanè incideret, quia jam Clericus percutitur.

Dices: at non percutitur Clericus, sed demon in
Clerico. Respondeo; at percutitur etiam Clericus: at-
que adeò Clericus in demone, idque fit suadente diabo-
lo, posito, quòd ignorantia non excuset, & ad veras inju-
riam gravem te facere Ecclesiastica persone. Idemque
verum haberet, si demon te contumeliis, v.g. afficeret, &
tu excandescens, illum in vindictam graviter crederes;
tunc enim, quamvis directè tua intentio ad demonem
contemnendum ferretur, tamen non demoni, sed Cle-
rico realem percussiois injuriam infligere, idque non
suadente solum, sed excitante etiam, ut ita dicam, & com-
movoente diabolo excandescitiam tuam. Si carnem, v.g.
contra te latrantem stricto gladio prosequeris, & il-
lum in sui Domini Clerici sinum profluentem, simul
cum Domino (id advertens) confoderes: nonne in ex-
communicationem incideres? Ita sanè, quia sic injuriam
Clerico facis: & tamen directè, & ex prima intentione
canem ferire, non Clericum percutere, contendebas; non
absimili modo in calu nostro, &c.

CAPUT IX.

De Voto.

Votum quid sit, & quomplex.

1. VOTUM, quod est promissio facta Deo de re
ipsi grata, id est, ad ejusmodi Dei cultum: ut
constituatur, quinque requirit. Primò, Deliberationem.
Votum enim debet esse voluntarium liberum. Secun-
dò, Propositum. Tertio, Promissionem sub obligatione.
Quarto, esse Deo factum. Quintò, esse de re ipsi grata. Hæc
igitur suo ordine declaramus: quibus, si quid addiderimus

M 3